

# IMPERATOR TITUS FLAVIUS DOMITIANUS

A PLERISQUE RERUM Scriptoribus INQUIUS EST  
DIJUDICATUS.

Domitian war einer von den Menschen, welche mit zu großer Verachtung angesehen und doch in keinem Falle so behandelt werden sollten.

Niebuhr, Vorlesungen über römische Geschichte II. p. 291. von L. Schmitz.



71

**Imperator Titus Flavius Domitianus**

**a plerisque rerum scriptoribus iniquius est dijudicatus.**

Cum hoc anno mihi esset mandatum, ut aliquid scriberem, quo celebrandis his Progymnasiis solemnibus praefarer, visum est mihi ea, quae per multos annos de imperatore Domitiano collegoram et chartae obiter mandata erant, in ordinem quandam redigere.

Sed narraturus vitam viri, de quo per multa saecula ad hunc usque diem a plerisque rerum scriptoribus iniquius judicatum est, praecepti illius Horatiani

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam  
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,

Quid valeant humeri<sup>1)</sup>

prorsus fortasse oblitus esse videar. Nam est sane de Domitiani vita quaestio perdifficilis, propterea quod argumenta scriptorum aequalium, qui hanc historiae partem uberius explicaverunt, haud raro omnino sunt sibi contraria, scriptorum vero aetatis posterioris saepius tam incerta et corrupta, ut ad rerum fidem plane cognoscendam nullo modo sufficiant.

Veritas fere ubique infracta esse videtur: hinc admiratio et odium, hinc inscitia rerum ac socordia mentes praestrinxerunt: alteris, ut cuique Domitianus fuit acceptus vel invitus varie narrantibus, alteris invisi semel principis seu bene seu male facta pari invidia increpatibus. Quis est enim, ut exemplum afferam, qui hujus imperatoris vitam subtilius perscrutatus sibi possit persuadere, ubique sine ira et studio scripsisse Tacitum? Nec id mirum. Tacitus enim, quamquam persuasum habebat, immensum imperii corpus stare et librari sine rectore non jam posse atque potentiam ad unum referri pacis interesse, tamen imperatores praesertim loco ignobili natos omnino est aspernatus.<sup>2)</sup> Quo factum est, ut eos saepius iniquoribus affecerit criminacionibus. Sed id quidem in eo laudandum est, quod in rebus describindis eundem tenorem obtinuit.

Longe secus Suetonius, cujus argumenta saepius sic sibi sunt contraria, ut facile credideris, Domitianum quasi duabus a natura indutum fuisse personis.

Infinitas quidem iri nequit, multa ab eo esse allata, quae rei lucem afferant clariorem. Sed in libris suis nec prudens consiliorum indagator nec sollers rerum narrator apparuit. „Er hatte, ut verbis Edmundi Wietersheimii utar, zum Historiker entschieden keinen Beruf. In seiner Erzählung befolgt er eine Art Realordnung: erst Lob dann Tadel nach gewissen Fächern ab-

1) ep. ad Pis. v. 37 seq. — 2) Id ubique fere ex ejus libris apparet.

handelnd, worin nicht nur alter geschichtlicher Zusammenhang der Ereignisse, sondern alle Charakterzeichnung verloren geht. Sein Werk muß jedenfalls eine Jugendarbeit gewesen sein und ist da am mangelhaftesten, wo es ihm an Material fehlte.“

Fere eadem est sententia Niebuhrii: „Sueton war von großer Gelehrsamkeit; er schrieb nicht schlecht. Aber er besaß keine Übersicht und kein historisches Talent. Die Schilderung seiner Zeit ist schlechter als die der früheren Perioden, wo er andere Werke zur Hand hatte, denen er folgen konnte, und dieses ist der beste Beweis, daß er keinen Beruf zum Geschichtschreiber hatte. Vielleicht ist sein Werk in der Jugend und vor der Bekanntschaft mit Tacitus Historien geschrieben.“<sup>3)</sup>

Sed haec hactenus; reliquos enim scriptores jamjam perstringere supersedeo; occasione data, quae necessaria sunt, de singulis exponam. Evidem longo ex tempore hacce historiae parte innatus, perfectis fere omnibus, quae huic quaestioni lucem quandam afferre possent, conscribendo hoc opusculo maxime id egi, ut tandem aliquando Domitiani personam aequiore et gratiore animo complectere mundum.

Multa quidem adhuc incerta et obscura mansisse haud ignoro, quae, ne vanis conjecturis inutile quid facere videtur, in medio reliquimus. —

Sed jam oratio mea eo delapsa est, unde haec omnis quaestio dicitur.

### Cap. I.

Titus Flavius Domitianus, Vespasiani imperatoris et Domitiae libertae filius, natus est a. d. IX. Calendas Novembres<sup>4)</sup>, anno 804 a. u. c. patre consule designato inituroque mense insequente honorem, Romae, regione urbis sexta, ad Malum Punicum in domo, quam postea in templum gentis Flaviae convertit<sup>5)</sup>.

De ejus prima adolescentia fere nihil certi nobis traditum est. Tacitus juxta ac reliqui omnes, qui Domitiano erant aequales, eam omnino praeterierunt silentio.

Suetonius, quem plerique scriptores posterioris aetatis temere sunt subsecuti, haec refert:

„Pubertatis ac primae adolescentiae tempora tanta inopia tantaque infamia gessisse fertur, ut nullum vas argenteum in usu haberet; satisque constat, Clodium Pollio, praetorium virum chirographum ejus conservasse et nonnumquam protulisse, noctem sibi pollicentis; nec defuerunt, qui affirmarent, corruptum esse Domitianum etiam a Nerva, qui post ejus obitum imperium obtinuit.<sup>6)</sup>“

Quae Suetonii verba, num respondent iis, quae postea legimus relata, Domitianum non solum omni eruditione fuisse imbutum nec denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse, verum etiam ipsum litterarum sacra coluisse et vi naturae et institutione et litteris famam consecutum esse inter viros doctos? An forte censemus, breve id tempus,<sup>7)</sup> quod in Albano consumpscerit, sufficisse, ut animus agrestis et bonarum artium omnino expers, omnibus doctrinis excoletetur? Evidem sane hanc in sententiam transire nequeo.

Infitias quidem iri nequit, Domitianum prima a pueritia saepius aliis delegatum suo tantum ingenio usum fuisse. Nam Vespasianus pater ejus plurimum temporis munericibus publicis impeditus erat, quominus ipse filium educaret et elementis studiorum instrueret. Domi-

3) cf. Niebuhr, Vorlesungen über röm. Gesch. — 4) 51 p. Ch. n. — 5) cf. Sueton. Domit. ep. 1; Vesp. ep. 3; Aurel. Victor. ep. 10. Dio Cass. 67, 18; Martial. epp. V, 64, 5; IX, 34. Stat. silv. IV, 3, 18 ff. Trebell Poll. XXX, tyr. 33; Beder, röm. Alterthümer I, S. 586. — Collis Quirinalis. — 6) cf. Sueton. Domit. ep. 1. — 7) cf. Tac. Hist. IV, 53 u. Orelli ad h. l. über Helvidius Priscus praetor.

tilla mater paucis annis post Domitianum natum diem supremum obisse videtur;<sup>8)</sup> etiam frater ejus, Titus, nondum sumpta virili toga Narcissi gratia in aulam est deductus, ut Brittanici esset contubernalis et, quoad posset et liceret, nunquam ab adolescentuli latere discederet.<sup>9)</sup>

Atqui inde minime effici potest, Domitianum graeculæ alicui ancillæ vel vilissimo ex servis delegatum et tanquam projectum pueritiam maxime in lubrico egisse, nisi forte eum, qui ad tempus aliis est delegatus, semper bonarum artium rudem fieri oportet. Multis quidem id accidisse et adhuc accidere, haud ignoro; at hercule Domitiano non contigisse videtur.

Jam unicuique, qui sine ira et studio Domitiani vitam perscrutatur, mirum videbitur, Tacitum juxta ac ceteros, qui huic imperatori erant aequales, de ejus pueritia ne verbum quidem protulisse. — Liber quidem, in quo Domitiani vita perscripta fuisse dicitur,<sup>10)</sup> iniquitate temporum interiit. — Sed etiam in annalibus et in describenda Agricolae vita et potissimum in historiarum libris haud scio an identidem scriptori occasio oblata fuerit, ut aliquatenus ejus pueritiae mentionem faceret. — Praeterea, si, quae Suetonius profert, vera fuissent, a Tacito silentio non essent praetermissa, cum alias minime dubitet, omne ingenium et studium ad Domitianum reprehendendum convertere. Hoc silentium magni rerum scriptoris, cui propter summam eruditionem et praestantissimum ingenium hac in re non parva tribuenda est auctoritas, magnum sane est documentum, Domitianum per id tempus argui non posse.<sup>11)</sup>

Sed Suetonius ipse de rerum fide, quas profert, dubitasse videtur. Neque enim refert: Pubertatis et primæ adolescentiae tempora tanta inopia tantaque infamia „gessit“ sed „gessisse fertur“. <sup>12)</sup>

Ceterum hoc loco, ut Suetonii verba refutemus et Domitiani personam emittamus securiorem, non mihi sententia mea proferenda est neque omnino ingenium opus est, ut fabulae malignorum tollantur. Nam exstant argumenta haud exigua, quibus elucet, Domitianum puerum neque egestate fuisse obstrictum nec terminos aetatis excessisse. Quae, ut accuratissime expediam, fortasse ignoscetur, si pauca altius, repetiero.

## Cap. II.

Gens Flavia, in quam Domitanus originem refert, obscura quidem fuit ac sine ullis majorum imaginibus.<sup>13)</sup> — Neque opes magnae nec clientelæ multæ suppeditabant. Flaviorum princeps, cuius rerum scriptores faciunt mentionem, fuit Titus Flavius Petro, municeps Reatinus<sup>14)</sup>, qui bello civili in Pompeji exercitu militavit, centurio an evocatus, parum liquet.<sup>15)</sup> Idem,

8) cf. Suet. Ves. ep. 3. — 9) cf. Suet. Tit. ep. 2. — 10) Tacitus facit ejus mentionem An. XI, 11. — 11) Bene et honorifice de Domitiano loqui Tacitum pigebat; id quod, qui factum sit, facile inveniri potest. Tacitus enim, ut fere omnes rerum scriptores, qui de Domitiano retulerunt, stabat a senatoribus, a quibus Domitanus paucis annis post quam imperium obtinuit, legibus diligentissime observandis, magno odio dissederat. Sic factum est, ut etiam ea, quae de Domitiano puero prodiderunt, saepius invidia, in quam Domitanus sub vitae finem merito sane inciderat, sint inquinata. Sed Tacitus veritatis amantior fuit, quam qui falsa afferet; itaque silentio Domitiani adolescentiam obexit. — 12) Si Domitanus puer vere egestate obstrictus fuisse et sese infamia inquinasset, certe et aequales et posteriores rerum scriptores satis superque in eam rem inquisivissent. Nam tantum abfuit, ut vitia et maculas Domitanus obtegerent, ut etiam augerent. — Si Suetonio Taciti historiarum libri praesto fuissent, vel diligentius rerum causas perscrutatus esset, hoc loco Domitiani famam non carpsisset. — 13) cf. Sueton. Ves. I. — 14) cf. Sueton. I. c. Vespasianus imperator factus colonos Reate demisit. cf. Aurel. Victor. Caes. S. Orelli C. J. 3683. — 15) cf. Niebuhr, Vorlesungen über röm. Geschichte pag. 119.

Pompejo ad Pharsalum devicto, profugit ex acie domumque se contulit. Ibi, venia et missione impetrata, exactiones argentarias factitavit.<sup>16)</sup>

Quo mortuo, Titus, filius ejus, cognomine Sabinus, militiae omnino expers, publicanus quadragesimae in Asia fuit. Nec tamen ob eam rem incidit in invidiam incolarum, immo vero, fenore iniquo spreto omnibus acceptus gratusque fuit. Qua enim fuerit abstinentia, nullum est certius judicium, quam quod ei manebant imagines a civitatibus sub hoc titulo positae: καλῶς τελωνήσαντι.<sup>17)</sup> Postea, cum ex Asia decessisset, apud Helvetios fenus exercuit; ibique diem obit supremum, superstitibus uxore et duobus ex ea liberis. Quorum major natu fuit Titus Flavius Sabinus, qui Nerone imperatore urbis praefecturam adeptus usque ad interitum obtinuit; minor natu, Titus Flavius Vespasianus, usque ad principatum processit.<sup>18)</sup>

Titus Flavius Sabinus, vir haud sane sernendus, domi militiaeque clarus factus est.<sup>19)</sup> Ubi primum adolevit, totum se dedidit rei publicae et, cum in rebus gerendis promptum sese ac stenum praestisset, factum est, ut brevi tempore illustraretur et alium post alium magistratum sibi pararet. Nam in munere id modo agitabat, ut ampliore, quam quod gerebat, dignus haberetur. — Anno 43 p. Ch. n. una cum fratre Vespasiano in Britannia legioni praepositus per aliquot annos in ea legatione detentus est. Deinde, quia par videbatur, per septem annos Moesiae praepositus est. Inde, cum industria probitate magna militiae scientia excelleret, Romam est revocatus et usque ad praefecturam urbis processit, quam dignitatem duodecim annos obtinuit. Denique Galba et Othone caesis, cum primores senatus et plerique equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles, tanquam omnis res publica in Vespasiani sinum cecidisset, domum Flavii Sabini compleverunt, a promptissimis Vitellianorum improviso tumultu facto in capitolium compulsus et paulo post aree expugnata occisus est; corpus truncum absciso capite in Gemonias tractum. — Hic fuit exitus viri, qui per totam vitam et de republica et de suis optime meruerat. — Etsi per quinque et triginta annos in re publica summis rebus praefuerat, innocentiam justitiamque ejus non argueres.<sup>20)</sup> — Vespasianum fratrem per aliquod temporis spatium auctoritate Pecuniaque anteibat; etiam decus domus initio quidem potissimum penes Sabinum erat. Sed cum Vespasianus a Vitellio descivisset sibi ipsi imperium vindicaturus, Sabinus pretio et opibus eum juuisse dicitur, domo agrisque pignori acceptis.<sup>21)</sup>

Titus Flavius Vespasianus, in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine, a. d. XV. Cal. Decemb. Q. Sulpicio Camerino et C. Poppeo Sabino coss.<sup>22)</sup> natus sub paterna avia, Tertulla, in praedulis Cosanis<sup>23)</sup> educatus est. Sumpta virili toga diu aversatus est rem publicam capessere. Sed tandem a matre compulsus est, ut latum clavum, quem jam dudum acceperat frater, appeteret.<sup>24)</sup>

Deinde tribunus militum declaratus prima stipendia meruit in Thracia. — Quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit. Quo cum venisset, exploratis celeriter omnibus, quae usui fore et sibi et aliis ducebant, celeriter effecit, ut omnibus fieret carissimus. Dicunt enim, eum id potissimum contendisse, ut juris et judiciorum aequitate suum quisque teneret et neque tenuiores propter humilitatem circumvenirentur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda adesset invidia. Qui vero hoc genus officiorum sequitur, cum summa rei publicae magnam ipsi adipiscetur et gratiam et gloriam. Praeterea haud negaverim, eum eo in

16) cf. Sueton. I. c. — 17) cf. Sueton. I. c. — 18) cf. Sueton. Vespasian. I. — 19) cf. Tacit. Hist. III. 75. — 20) cf. Tac. Hist. III. 75. — 21) cf. Tac. Hist. III. 65. — 22) an. 9 p. Ch. n. — 23) cf. Sueton. Vesp. cp. 2. — 24) cf. Suet. Vesp. cp. 2. — lato clavo dignitas senatoria annexa erat.

magistratu rem familiarem quaesisse, — sed iis quidem rebus, a quibus aberat turpitudo, — ut in re publica administranda longius progredi posset. — Nam Romam reversus petivit aedilitatem, munus utique sumptuosum, quod in civitate Romana jam bonis temporibus inveteraverat, ut splendor quidam aedilitatum postutaretur.<sup>25)</sup> Paupertas juxta ac suspicio avaritiae repulsam honorum attulit. Paucis contigit, ut sine ullo munere adipiscerentur omnia, quae ea aetate amplissima habebantur. Num Vespasiano contigit? Num a plebe sordida circo ac theatris sueta fortissimus quisque dignus habitus est, qui honores adipisceretur?

Vespasianus quidem jam tum virtute et innocentia magnopere floruit, ita, ut patres veteris prosapia et multarum imaginum adaequaret; praeterea rem familiarem haud exiguum ei suppeditasse accepimus, ut largitiones, quae a populo postulabantur, facere posset.<sup>26)</sup>

Aedilis igitur simulque praetor factus, ut genere quoque demereretur, Gajum pro victoria ejus Germanica ludos extraordinarios depoposcit. Qua re non solum plebis consecutus est favorem verum etiam imperatoris, qui eum honore coenae dignatus est. —

Eodem fere tempore Claudio etiam principe Narcissi gratia legatus legionis in Germanicum missus est; inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit.<sup>27)</sup>

Tum Romam reversus duabus validissimis gentibus in Romanorum deditioinem redactis, triumphalia ornamenta accepit et paulo post duplex sacerdotium; praeterea per duos novissimos anni menses gessit consulatum. — Medium tempus usque ad proconsulatum in otio et recessu egit, timens Agrippinam, quae Narcissi amicis infensa erat. — Exinde anno 59 p. Ch. n. sortitus Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit. Sed non diu obtinuit provinciam; nam imperator Nero sibi maxime formidolosum arbitrabatur, privati hominis nomen supra principis tolli. Idcirco optimum in praesentia statuit, eum revocare, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. — Secessit igitur Vespasianus in parvam ac deviam civitatem penitus hauriens tranquillitatem atque otium; cultu modicus, sermone facilis, ab uno aut altero amicorum comitatus, ut plerique virum clarissimum vix agnoscerent. Sed seditione Judaeorum recrudescente cum exercitus caeso praeposito et aquila rapta temeritate et ignavia ducum aut fugati aut amissi essent et provincia illa funeribus et cladibus insigniretur, Vespasianus poscente populo ad motum Judaeorum comprimentum delectus est, comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine ceterorum.<sup>28)</sup>

### C a p . III.

Sed jam redeo ad Domitianum; nam ea, quae modo praedixi, sane sufficiant, ut, quae Suetonius refert, dijudicemus. —

Domitianus natus est anno quinquagesimo primo post Christum natum.<sup>29)</sup>

Eodem tempore Vespasianus, cum deinceps quaestor, tribunus, praetor sese praestitisset virum bonum, gratia apud imperatorem, auctoritate inter patres, favore apud plebem adeo floruit, ut ultra fere ad consulatum vocaretur.<sup>30)</sup> Quin etiam paucis annis post quam ex provincia redierat, omnibus approbantibus dux creatus est, qui Judaeorum seditionem oppimeret. Locus igitur imperatori proximum Vespasianus jam tum tenuit et praeter ceteros honoribus et dignitatibus illustris fuit. —

25) cf. Cic. de off. II. 16, 57; Dionys. Halic. 7, 71. — Multi Romanorum aediles sumptibus infinitis factisi, plebis gratiam et favorem sibi conciliare studebant ita, ut ad summos pervenirent honores. — 26) cf. Sueton. Vesp. cp. 2. Tac. Hist. III, 65. — 27) cf. Suet. Vesp. cp. 4. Flav. Jos. III, 1, 2; Tac. Hist. III, 44; Tac. Agr. 13; Dio Cass. 60, 20. — 28) cf. Suet. Vesp. cp. 4. Flav. Jos. III, 1, 3. — 29) cf. Suet. Domit. cap. 1. Dio Cass. 67, 18; Euseb. et Chron. Pasch. ad a. 51. — 30) Domitianus natus est eodem anno, quo pater primum init consulatum. cf. Suet. Domit. 1.

Una cum Vespasiano Sabinum floruisse, omnes rerum scriptores memoriae prodidere.

Domitianus igitur natus est eo tempore, quo maxime ejus propinquui summis fungebantur muneribus et propter honores continue fere in regia versabantur.

Quae cum ita sint, mihi quidem persuaderi non potest, Domitianum puerum adeo egestate fuisse obstrictum, ut nullum vas argenteum in usu habuerit, nisi forte credimus, etiam tum Curii vel Fabricii abstinentiam magni habitam esse. — Sed illa abstinentia et integritas majorum illa aetate non jam erat fundamentum famae perpetuae et commendationis. Nam paulatim in re publica inveterasse jam Cicero refert, ut splendor quidam ab optimis viris postularetur. Illo tempore, quo mores divitiarum admiratione corrupti et depravati erant, iis, qui in aula degebant vel muneribus publicis fungebantur, non jam sufficit, ut olim Curio ceterisque ejusdem generis, rude aedificium, quod imbre arceret, sed ita exstrebantur tum domus, ut visum et oculos delectarent. Praeterea non instruebantur ea solum supellectile, quae usibus necessariis sufficeret, sed mos erat, ut multum auri et argenti gemmaeque in apparatu essent.

Sabini domum ejus modi et ornamentis et opibus refertam fuisse, Tacitus ipse memoriae tradidit;<sup>31)</sup> id quod equidem de Vespasiano quoque haud negaverim, etsi nihil certi de hac re in annalibus scriptorum inveni.<sup>32)</sup>

Calumniouse igitur mihi dicta esse videntur, quae Suetonius de Domitiani paupertate profert. —

Idem contendere ausim de iis, quae de moribus Domitiani pronuntiat. —

Nam Vespasianus, quamquam vivebat in civitate, quae tota fere luxu et desidia corrupta erat, ipse domi bellique voltu habituque prae se ferebat virtutem illam, quam in antiquis admiramus. Quin etiam Tacito autore propter studium modestiae, decoris, imprimis severitatis prorsus antiquis par est habendus. Ex quo haud difficulter colligi potest, eum a vitiis, quae tum natos excipiebant et per singulos aetatis gradus augebantur, servatum severitate ac disciplina majorum educatum formatumque fuisse. —

Constat praeterea Vespasianum, quod tempus rebus gerendis superesset, studio litterarum dedisse eumque non solum studiis artibusque fuisse delectatum, verum ipsum ad litteras incubuisse.<sup>33)</sup>

Postquam imperator factus est, ingenia et artes vel maxime fovit; primus ex aerario latinis graecisque rhetoribus stipendia constituit; praestantes poetas et artifices magni habebat et saepius magna mercede donavit.<sup>34)</sup>

Denique ab omnibus rerum scriptoribus memoriae traditum est, Vespasianum multam consumpsisse operam, ut Titi corporis animique dotes deinceps per omnes aetatis gradus excelerentur; quin etiam Titus vix adultus a patre in regiam ita deductus est, ut ejus animus ac mens ipsa consuetudine hominum excellentium conformaretur.

Quis est igitur, qui in Suetonii sententiam velit transire? Evidem sane mihi persuadere nequeo, Domitianum aetate quidem juniores sed ingenio praestantiores omnino a Vespasiano esse neglectum, sed contendere ausim, eum diligentissime a patre educatum formatumque fuisse. Quo factum est, ut Domitiani vitam perscrutantes saepius Vespasiani naturam et mores agnoscamus. —

Ex his, quae modo praedixi, satis posse colligi arbitror, quomodo Domitianus primos aetatis

31) cf. Tac. Hist. III, 65 et 75. — 32) Vespasiano domum agrumque fuisse, apparet ex Tac. Hist. III, 65.

— 33) Vespasianus de vita sua compositum commentarium, quo Flavius Josephus in libris conscribendis abusus est. cf. Joseph. de vita sua ep. 65. Suet. Vesp., Aurel. Vict. Caes. 9. 1. — 34) cf. Suet. Vesp. c. 18; Tac. Dialog. 9.

annos transegerit. Constat quidem, eum non in gremio ac sinu matris formatum fuisse nec lieuisse patri, quod prope continuo rei publicae studebat, filio inservire eumque probitati et modestiae assuefacere. Sed inde minime efficitur, Domitianum in cella empta nutrieis vel servorum cuiusdam esse educatum. — Equidem potius ausim contendere, Domitianum Vespasiano absente aut apud Sabinum<sup>35)</sup> versatum esse aut, ut per tot saecula majorum severitas ac disciplina exegerat, majori alicui natu propinquae<sup>36)</sup> vel viro probatis spectatisque moribus commissum esse, ut omnibus disciplinis, quibus juvenilis aetas impertiri debet, informaretur.

Ii autem, quibus Domitianus commissus erat, sanctitate quadam eum educavisse videntur, et, quamquam de hac re nihil certi nobis relatum est, ausim contendere, iis coram Domitianum neque dixisse, quod turpe dictu, neque fecisse, quod dishonestum factu videretur. — Ac non studia solum curasque verum etiam remissiones lususque verecundia quadam ab iis temperata esse haud abnuerim. — Quae disciplina ac severitas eo pertinuit, ut Domitiani animus non solum sincerus et integer et nullis pravitatibus corrumperetur, verum etiam vix adultus non solum ad rem militarem et juris scientiam eloquentiaeque studium inclinaret, verum etiam fere per totam vitam obtineret. —

Quae initia et gradus et eruditio institutio fuerint, ita, ut omnem omnium artium variantatem complecteretur, parum liquet. —

Sed ex iis, quae de hac re accepimus, colligi potest, eum, ut Romanorum fuit mos et consuetudo, corpori pariter ac animo erudiendo magnam dedisse operam.<sup>37)</sup> Sic accepimus, ut alia omittam, eum praecipue sagittarum studio operam dedisse ejusque artis valde fuisse peritum.<sup>38)</sup> Nonnumquam enim in pueri procul stantis praebentisque pro scopo dispansam dextrae manus palmam sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocuae evaderent.<sup>39)</sup> Qua de causa non mirum, eum egregium fuisse venatorem. Centenas varii generis feras saepe in Albano secessu conficiemt spectavere plerique atque etiam de industria ita quarundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi coronam efficeret<sup>40)</sup>. Sine dubio Domitianus etiam reliquae armaturae multum studii et operae consumperit; nam tradunt rerum scriptores, eum per totam vitam fuisse militibus acceptum.<sup>41)</sup>

Pariter deinceps per omnes aetatis gradus ejus indoles et ingenium excultum esse videntur, atque ei non sufficit, litterarum elementa cognovisse, sed penibus in studia animum demisit. Constat enim, eum non solum haud exiguum operam et in auctoribus cognoscendis et in evolvenda antiquitate et in notitia vel rerum vel hominum vel temporum insumpsisse verum etiam latine graeceque vel in ornandis vel in fingendis poëmatis promptum et facilem fuisse. Cujus rei testis non solum tota ejus vita est posterior et litterarum opuscula verum etiam multa rerum scriptorum argumenta.<sup>42)</sup>

35) Is in discrimine rerum Domitianum secum habebat, eumque cum suae ipsius vitae periculo in capitolium accivit et omni ope a Vitellio defendere studuit. cf. Tac. Hist. III, 69 et 70. — 36) facile apparet ex. Suet. Domit. 9. — 37) cf. Flav. Jos. VII. 13. Henr. Norisius chronolog. tom II. pag. 327. b. Tac. Hist. IV. 40. Suet. Domit. — 38) cf. Suet. Domit. 19. Tillemont. histoire des emp. Rom. vol. II, 104. — 39) cf. Suet. Domit. I. c. Aurel. Victor. epit. 11. — 40) cf. Sueton I. c. — 41) cf. Flav. Joseph. bell. jud. VII. 13. et Hen. Noris. chronolog. tom. II, pag. 327. b. Philostrat. VII. 4. pag. 282. Tillemont. II, pag. 106.

42) Opus Domitiani potissimum fuit paraphrasis libri, ab Arato de siderum motibus ac tempestatibus conscripti. Multi quidem negant, eam a Domitiano esse compositam; id quod inter recentos maxime comprobare studuit Imhofius. Sed Rutgersius (cfr. Variae lectiones III. p. 276 et Grauertius cfr. Rhein. Mus. Bd. 4. S. 347) satis superque demonstraverunt, Domitianum istius libri auctorem fuisse.

Lactantius et alii antiquitatis scriptores tradunt, a Domitiano etiam commentaria in istam paraphrasin composita esse. Cfr. Tillemont I. c.

Valerius Flaccus refert, Domitianum de Hierosolymis expugnatis carmen continuum confecisse.

At Domitianus non solum ipse studia liberalia magni habuisse videtur, verum etiam quam maxime dedit operam, ut alii quoque litterarum saera colere possent. Quamobrem bibliothecas Tito imperatore incendio absumptas reparandas curavit, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendantque.<sup>43)</sup>

Praeterea ad instar Vespasiani Romae magistros latinarum et graecarum disciplinarum constituit, decretis ex aerario stipendiis eosque non minus beneficiis et liberalitate quam reverentia quadam prosecutus est. Quin etiam multos illius aetatis viros, qui et eruditione et morum integritate refulgebant, et usu amicitiae et assiduitate contubernii imperatori conjunctos esse accepimus. Nihil enim fuit imperatoris animo libero et ingenuo dulcius, quam videre plenam et frequentem domum concursu hominum splendidorum.<sup>44)</sup>

Postremum, ut artes et studia litterarum usque vigerent, Domitianus inter initia imperii nova edidit ludorum genera, in quibus et prosa oratione graece latineque certabatur.<sup>45)</sup>

Suetonius (cfr. Domit. c. 18) dicit, eum de cura capillorum libellum conscripsisse.

Quintilianus Domitianum appellat „in eloquentia eminentissimum.“ cf. Quintil. instit. orat. X, 1, 91. et 4. prooém. 2.

Johannes Malalias Domitianum „sumnum philosophum“ nominat. cf. ejus Chronolog. pag. 262; praeterea affirmit, artem poëticam Domitiano extincto magnam jacturam fecisse. Vossius negat, hoc esse ab eo per blanditiis dictum. cf. Tillemont. vol. II. second. part. pag. 106.

Pariter Plinius, Silius, Valerius, Martialis, Statius Domitiani carmina haud raro laudibus efferunt.

Ut viri, quos nominavi, Domitianum saepius adulati sint, id certe ex rebus allatis colligi potest, eum a patre non neglectum, sed diligentissime eruditum et informatum fuisse.

43) cf. Suet. Domit. 4. et 19. Aurel. Vict. epit. 11.

44) Inter eos, qui continuo fere in regia versabantur et ab imperatore usque benevolentia et beneficiis colebantur, potissimum nominandi sunt: Flavius Josephus, M. Fabius Quintilianus, P. Papinius Statius, M. Valerius Martialis. Sed praeter eos, quos dixi, etiam alii, quorum nomina rerum scriptores silentio praeterierunt, hand dubie imperatoris amicitia usi erunt. Tacitus ipse, qui alias Domitiano alienus est, dignitatem suam ab hoc imperatore longius proiectam esse non abnuit. cf. Tac. Hist. I, 1.

45) cf. Imhofium, qui in libello de Domitiano his ferme verbis de hac re disserit:

„Die Errichtung dieser wissenschaftlichen Wettspiele, die sich noch bis in späte Zeiten erhalten, war auf die Litteratur von bedeutendem Einflusse. — Die Spiele waren mehrfacher Art. Zuerst der agon capitolinus, der nach dem Vorbilde der großen griechischen Festspiele abgehalten wurde. Zwar werden in der römischen Geschichte schon frühzeitig solche wissenschaftliche Kämpfe erwähnt. cf. Livius V. 50. — Doch mit diesen hatte der von Domitian gestiftete agon nichts zu thun. Er durfte er den Neronien, die von Kaiser Nero ins Leben gerufen, ähnlich sein. Der Kampf war ein dreifacher: für Musik, Gymnastik und Kampf zu Ross und zu Wagen. Ersterer zerfiel wieder in einen Wettkampf für Musik, Gesang, Poësie und Veredtsamkeit. — Den Hauptgegenstand der Gesänge bildete hier die Verherrlichung des Jupiter capitolinus cf. Quintil. instit. orat. III, 7, 4. — Der Kampfpreis war zwar nur ein einfacher Epheukenanz, cf. Stat. silv. V. 3. 231. Juv. VI. 387. Mart. IX, 125; doch war der Sieg in diesen Wettspielen sehr geschägt und Statius und Florus, die in diesem Wettkampfe besiegt wurden, strömten ihren Schmerz über diese Niederlage in leidenschaftlichen Klagen aus. cf. Stat. silv. III, 5, 32. V. 3. 231; O. Jahn praeſ. ad Florum. p. XLII. — Die Sieger fanden auch außerhalb Roms hohe Anerkennung. So setzte z. B. die universa civitas Hisconiensium ihrem noch sehr jugendlichen Landsmann L. Valerius Prudens, weil er in den capitolinischen Spielen gesiegt hatte, eine ehehe Statue. cf. Gruter. C. J. p. 332, 3.

Neben dem großen capitolinischen Agon beging er auch auf der albanischen Villa ein jährlich wiederkehrendes fünfjähriges Fest mit besonderer Pracht zu Ehren der Minerva, seiner Lieblings-Gottheit, wo ebenfalls hauptsächlich Dichter und Rhetoren wetteiferten. Statius erhielt dreimal den goldenen albanischen Olivenkranz, welcher aber weniger auszeichnend als der capitolinische war. cf. Stat. silv., III, 5, 28. IV, 2, 65. IV, 5, 21. V, 3, 229. Mart. IX, 23; IV, 1. 5. IX, 24, 5.

Im J. 88 veranstaltete Domitian auch die Wiederholung der ludi saeculares zum 7. Male seit Erbauung der Stadt. Wir dürfen annehmen, daß auch hier die Litteratur ihren Beitrag lieferte, wie zur Zeit des Augustus von Horazius geschehen.

Durch die vielfach gebotenen Gelegenheiten, sich auszuzeichnen und belohnt zu werden, wurden natürlich alle mächtig angeregt und nur Domitians wissenschaftlichem Streben ist es beizumessen, daß die Litteratur in jener Zeitperiode verhältnismäßig viele Jünger und Verehrer zählte.“ —

Victores ab ipso imperatore praemis affecti sunt. Exinde factum est, ut viri docti uberioris quam maxime unquam ad litteras incumberent. Multi illius aetatis viri et dictorum elegantia et eruditione refulgent dignique sunt, qui optimis antiquorum comparentur.

At Domitianus non solum studia liberalia coluit verum etiam contendit, ut, quae percepérat, bene et eleganter proferret. Tempa illa et theatra et porticus et cetera aedificia sane tot sunt documenta, ei non denique ullius artis ingenuae defuisse scientiam, eumque per omnes eruditionis numeros transiisse.<sup>46)</sup>

Possum etiam persequi multa, quibus eluceat, Domitianum hac ex parte iniquius a Suetonio dijudicatum esse. Sed jam satis de hac re disseruisse videor. Ex iis, quae dixi, deprendere sane licet „de tantis viris, ut verbis Quintiliani utar, modeste et circumspecto judicio esse pronuntiandum, ne, quod plerisque accidit, damnent, quod non intelligent.“

Itaque hanc opusculi partem jamjam e manibus mitto et ad alia decurram, uberiorem de hac re commentationem in aliud tempus differens. —

#### C a p. IV.

Domitianus vix agebat annum undevicesimum, cum Romae certos nuntios accepit, patrem a Galba imperatore descivisse.<sup>47)</sup> Mox etiam aderant, qui jam mota in Vitellium arma affirmarent. —

Domitianus anxius animo cuncta utrimque perlustrat; si fugeret, actum esse de Flavio Sabino, patruo suo, cui praeter ceteros multa debebat; si maneret, sese Vitellio obsidem fore. Multi quidem rerum scriptores tradiderunt, Domitiano pariter ac Flavio Sabino ceterisque, qui stabant a Vespasiani parte, patuisse effugium missosque esso ab Antonio, Vespasiani duce, per varias fallendi artes locum ac praesidium monstrantes.<sup>48)</sup> Sed cum Sabinus, per speciem valitudinem labori et audaciae inhabilem causatus, re vera, timens, ne se absente res Vespasiani periclitaretur, urbe exire nollet, Domitianus quoque remansit. Deinde iis a Vitellio custodes additi sunt, ne aufugerent<sup>49)</sup> neu quid infesti in se molirentur.

Dum haec Romae geruntur, Vitellio nuntiatum est, exercitus suos ab Antonio Primo apud Cremonam devictos, urbem incensam, ipsumque Appennino foeda hieme superato, cum legionibus Romam pergere. Mox etiam aderant, qui affirmarent, Misenensem classem et maximam copiarum partem descivisse, nec plus e toto terrarum orbe ei reliquum esse, quam quod inter Terracinam Narboniamque jaceret. Tum Vitellius, haud ignorans, imperium jamjam obtineri non posse, ejurare constituit, et cum de pace ponendisque per condicionem armis cum Flavio Sabino convenissent, in aede Apollinis pepigere. — Deinde propalam edicit, imperium a sese esse depositum, et insignibus imperii redditis jam in eo fuit, ut rem publicam manu mitteret, cum subito frementibus Germanicis cohortibus a quibusdam animatus Sabinum cum ceteris Flavianis in capitolium compulit.<sup>50)</sup>

Sed miles Vitellianus tam socordi custodia clausos circumdedit, ut Flavius nocte concu-

46) Domitianus primus antiquum aedificandi modum omittens nova ratione aedificia extruere conatus est. cf. Euseb. ad an. 85: „templum sine lignorum admixtione construxit“; idem primus ad aedificia condenda materia magis idonea et accommodata abusus est. cf. figlinae Domitiana, Fea, Roma 1809. p. 7.

47) cf. Tac. Hist. I, 10; II, 1 et 2; II, 73 seq; III, 59. — 48) cf. Tac. Hist. III, 59. — 49) cf. Tac. Hist. III, 59. Petilius Cerealis agresti cultu et notitia locorum custodias Vitelli elapsus incolunis ad Antonium pervenit. cf. Tac. Hist. I. c. — 50) cf. Tac. Hist. III, 50—72. Orosius adv. pagan. VII. ep. 8. Suet. Domit. ep. 1. Flav. Joseph. IV, 11.

bia et multo imbre Domitianum et liberos suos in arcem acciret, missus per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos et, ni subveniretur, artas res nuntiaret.<sup>51)</sup>

Luce prima Sabinus, antequam invicem hostilia coeparent, Cornelium Martialem ad Vitellium misit cum mandatis et quaeſtu, quod pacta turbarentur: Si conventionis poeniteret, non se, quem perfidia decepisset, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem, sed iret obviam legionibus et de summa rerum illuc certaret; cetera secundum proelii eventum cessaſt.<sup>52)</sup> Trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit culpam in militem conferens, cuius nimio ardori sese imparem esse, et monuit Martialem, ut occulte abiret, ne a militibus internuntius invisa pacis interficeretur.<sup>53)</sup> Vixdum regresso in capitolium Martiale furens miles nullo duce sibi quisque auctor cito agmine forum et imminentia foro tempora praetervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas arcis capitolinae fores; invadunt in diversos capitolii aditus, et cum Sabinus ejusque cohors oppugnatores acriter propulsarent, ignem tectis injecere.<sup>54)</sup> Inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus et mixta simul flamma ruinaque omnes in unum pariter interitum ac tumultum dedit.<sup>55)</sup> Tum irrumpunt Vitelliani et cuncta ferro flammisque miscent; pauci militarium virorum pugnam ausi obtruncantur; in his Flavium Sabinum inermem neque fugam coepantem circumsistunt; absciso capite truncum corpus in Gemonias trahunt.<sup>56)</sup>

Domitianus irrumpentibus adversariis et ardente templo apud aeditum occultatus pernoctavit. Mane<sup>57)</sup> sollertia liberti lineo amictu turbae sacricolarum immixtus ignoratusque apud Cornelium Primum paternum clientem juxta Velabrum delituit.<sup>58)</sup>

Eodem die<sup>59)</sup> Antonius Primus, qui a Sabino certior factus, Romae diutius sustentari non posse, extemplo cum omnibus copiis profectus erat, ad urbem pervenit et triplici acie instructa proelium commisit. Diu atque acriter utrimque pugnatum est: Vitelliani summa desperatione certabant et superstantes maceriis hortorum ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina intruperant, circumventi ad unum omnes contrariis vulneribus versi in hostem interiere.

Praecipiti in occassum die, ob pavorem magistratum senatorumque, qui dilapsi ex urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. — Verumtamen Domitianus, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressus et Caesar consulatus est. — Miles frequens, ut erat in armis, in paternos Penates eum deduxit.<sup>60)</sup>

### C a p. V.

Inde a Vitellii interitu usque ad finem belli, quod Cereale duce cum Germanis gestum est,<sup>61)</sup> Romae multa patrata esse dicuntur, quae, plerisque rerum scriptoribus deterius interpretantibus, Domitianum infamaverunt.

Idecirco, ut porro rem nostram expediamus, scriptores ipsi eorumque verba in judicium vocandi sunt.

51) cf. Tac. Hist. III. 69. — 52) cf. Tac. Hist. III. 70. — 53) cf. Tac. Hist. I. c. 54) cf. Tac. Hist. III, 71. — 55) cf. Tac. Hist. III, 71—73. Orosius VII, 8. — 56) cf. Tac. Hist. III, 74; Oros. I. c. — 57) mane a. d. XIII. Cal. Jan. an. 70. p. Ch. n. — 58) cf. Tac. Hist. III, 74; Suet. Dom. I. Jagt: Isiaci celatus habitu trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem se contulit comite uno. — Eutrop. VII, 15. Tac. Hist. III, 74. — 59) a. d. XIII. Cal. Jan. — 60) cf. Tac. Hist. III, 82—86. Oros. VII. 8. Zonar. XI, 16—17; Dio Cass. 65, 22; Flav. Jos. IV. 11, 4; Noris de Epoch. Syro—Mac. I. ep. 3. pag. 61. — 61) ex die XII ante Cal. Jan. an. 70 usque ad cal. Jul. ejusd. an.; post id tempus Domitianus nihil deliquit, id quod Tacitus ipse testatur. cf. Tac. Hist. IV, 86.

Tacitus,<sup>62)</sup> cui praeter ceteros auctoritas tribuenda est, haec refert:  
 „Non ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium Caesaris agebat.“<sup>63)</sup>  
 „Domitianus pleraque instigantibus amicis aut propria libidine audebat.“<sup>64)</sup>  
 „Vespasianus in Italiam resque urbis intentus adversam de Domitiano famam accipit, tanquam terminos aetatis et concessa filio eggredetur.“<sup>65)</sup>

„Domitianus indomitae libidines timebantur.“<sup>66)</sup>  
 „Juvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tautum licentiam usurpante.“<sup>67)</sup>  
 Suetonius vero haec exhibit:

„Omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut jam tum, qualis esset futurus, ostenderet; uno die super viginti officia urbana aut peregrina distribuit.“<sup>68)</sup>

Fere eadem refert Dio Cassius, (vel potius Johannes Xiphilinus, qui ejus libros, iniquitate temporum amissos, restituere conatus est) qui Suetonium fere ad verbum secutus esse videtur; id quod non modo ex tota ejus tractatione verum etiam e certis verbis consequitur. Ceteros rerum scriptores hoc loco perstringere non operae pretium sit, quod majores temere sunt subsecuti et in historicis excerptis nusquam probe versati esse videntur. —

Sed etiam ea, quae Suetonius memoriae prodidit, fere nullius est momenti, quod Tacitus, qui Domitiano erat aequalis et res illius aetatis satis cognitas habebat, omnino nihil ejus modi de Domitiano tradit. — Silentium hujus scriptoris hoc loco fortasse facundius est quam Suetoni<sup>69)</sup> reliquorumque libertas.

Quocirca in Tacito uno rem attigisse satis esse duco. Sed, etsi non infitiandum est, Tacitum ut aequalem scriptorem dignissimum esse, cui fides sit habenda, tamen res gestas penitus perscrutati haud difficulter intelligemus, Domitianum hoc quidem loco a Tacito iniquius esse dijudicatum et, quae Antonius Primus deinde Mucianus commiserunt, in Domitianum collata esse. — Idecirco, ut res nostra procedat, erit necesse, utriusque viri animum et mores breviter perstringam. —

Antonius Primus, qui labantibus Vitellii rebus ad Vespasianum defecerat, inde virtutum ac vitiorum erat praeditus, ut non facile discerneret, utrum virtutes an vitia praevalerent.<sup>70)</sup>

Fuit enim dux quidem strenuus, ipse manu fortis, sermone promptus, plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula. Sed has virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas, nihil veri, nihil sancti, serendae inter alios discordiae artifex, discordis et seditionibus potens, raptor, largitor, voluptatibus ac libidini indulgens. — Postquam Vitellii exercitus erant devicti, bello satisfactum ratus, avaritiam superbiam ceteraque occulta mala patefecit et nova, ambigua, anicipitia cupiens, omnibus dictis factisque viam sibi struere studebat ad potentiam, Muciano neglecto, id quod tum exitiosius erat, quam ipsum Vespasianum sprevisse.<sup>71)</sup>

Militibus quidem fuit carus atque acceptus, cum eos omni licentia imbueret et disciplinam militarem nihil curans saepius eorum arbitrio ac violentia traheretur.<sup>72)</sup>

Constat enim, imperfecto Vitellio a victoribus nullo militum aut populi discrimine complures dies per urbem adversus senatum populumque saevitum esse; ubique lamenta, conclama-

62) Tacitus Domitiano aequalis multum Romae versabatur et propter dignitatem facilius ceteris res et rerum causas cognovit. — 63) Tac. Hist. IV. 2. — 64) cf. Tac. Hist. IV. 39. — 65) Tac. Hist. IV. 51. — 66) Tac. Hist. IV. 68. — 67) Tac. Agr. 7. — 68) cf. Suet. Domit. ep. 1. — 69) cf. pag. IV hujus opusculi; Bernhardy, r̄mij̄he Litteratur pag. 702 ff; Nicolai, ḡrcij̄he Litteratur pag. 357 ff. — 70) cf. Crèvier, Histoire des empereurs Rom. vol. VI. pag. 287. — 71) cf. Tac. Hist. II, 86; III, 28; III, 49; III, 53. — 72) cf. Tac. Hist. III, 49.

mationes, fortuna captae urbis fuit ea, ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur.<sup>73)</sup>

Quae saevitia mox se vertebat in avaritiam; nihil usquam secretum aut clausum sinebant, et simulantes, Vitellianos occultari, domus aedesque perfrinxerunt, et, quaecunque erant pretiosa, abstulerunt. Antonius ipse pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapuit.<sup>74)</sup>

Summa potentiae fuit in Antonio aut ejus amicis.<sup>75)</sup> Domitianus nomen quidem et sedem Caesaris acceperat, sed imperii omnino expers fuit; ne munera quidem a senatu sibi concessa eum inire Antonius passus est.<sup>76)</sup>

Ex his rebus collatis haud difficulter appareat, Domitiano illo tempore non arbitrium fuisse, quidvis agendi vel moliendi, sed privatum Romae degisse. Tacitus quidem refert, eum nondum ad curas rei publicae intentum stupris et adulteriis sese commaculasse.<sup>77)</sup> Sed equidem credo, haec verba non ad Domitianum sed potius ad Antonium referenda esse. Nam Taciti relata nec respondent iis,<sup>78)</sup> quae paulo post de Domitiano tradit nec, quae reliqui rerum scriptores memoriae prodiderunt.

Praeterea equidem in sententiam transire nequeo, Domitianum illo tempore, quo modo patruus ejus obtruncatus, Vitellius jugulatus, ipse mortem vix effugerat, ubique lamenta et clades erant, vitio sese dedisse, in quod per totam vitam vel in sua ipsius familia gravissime animadvertis.<sup>79)</sup>

#### Cap. VI.

Tali rerum statu,<sup>80)</sup> cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges non princeps in civitate essent, urbem ingressus est Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus, et cuncta in se traxit. Is loco nobili natus juvenis insignes amicitias ambitiose coluerat. Attritus autem opibus in secretum Asiae sese contulit, ubi tam prope ab exsule fuit quam postea fere a principe; luxuria, industria, comitate, adrogantia, malis bonisque artibus mixtus; nimiae voluptates, cum vacabat, magnae virtutes, quotiens occupatus. Idem haud ignorans, sibi esse utilius tradere imperium quam obtinere, classe et exercitu magno comparato, Vespasianum pavoribus etiam nutantem commoverat, ut imperium usurparet.<sup>81)</sup>

Qua re Mucianus sic sibi devinxerat Vespasianum, ut hic, imperator factus, eum fratrem sociumque imperii appellaret eique tribueret potestatem quidvis agendi et decernendi vel absque mandato. Praeterea Vespasianus ad Mucianum miserat annulum, ut ejus edicta sigillum principis haberent.<sup>82)</sup>

Mucianus igitur tanta potestatis copia firmatus, initia principatus ac statum urbis regebat. Ille unus ambi, coli; nec deerat ipse stipatus armatis, domos hortosque permutans, apparatu, incessu, excubii vim principis amplecti, nomen quidem remittere.<sup>83)</sup> Quin etiam non dubitabat, propalam sese jactare, velut ipse Vespasiano imperium confecisset.<sup>84)</sup>

73) cf. Tac. Hist. IV, 1; Oros. VII, 8. — 74) cf. Tac. Hist. IV, 2. — 75) pessimo cuique plurima vis. cf. Tac. Hist. IV, 1. — 76) cf. Tac. Hist. IV, 2, praefectura praetorii fuit penes Arrium Varum, etsi senatus eam statim post Vitelli obitum Domitiano decreverat. — 77) cf. Tac. Hist. IV, 2. — 78) cf. Tac. Hist. IV, 40. ignotis adhuc moribus. Sine dubio Tacitus haec verba omisisset, si quid a Domitiano per id tempus, quo Antonius rem publicam regebat, delictum esset. — 79) cf. Euseb. ad an. 83; Dio Cass. 67, 3; Suet. Domit. 8. et 3. Imhof, Domitianus, pag. 94 et 95. — 80) a. d. XI. Flavio autore a. d. XII. Cal. Jan. an. 70. — 81) cf. Tac. Hist. I, 10; III, 73—80 ff.; Tac. Agr. 7. Dio Cass. 66, 2. Tillemont, Histoire des emp. Rom. Vol. I. sec. part. pag. 691. Crevier l. c. vol. V. pag. 284. — 82) cf. Dio Cass. Domit. cp. 12. — 83) cf. Tac. Hist. IV, 11. Agr. l. c. — 84) cf. Zonar XI, 17. Dio Cass. Domit. cp. 2.

Domitianus nomen quidem sedemque Caesaris acceperat; praeterea a senatu praetura et consulaire imperium ei decreta erant, ejusque nomen omnibus edictis praescribebatur; sed vis fuit penes Mucianum. „Il agissait, ut Crevieri verbis utar, et vivait en empereur, se portant plutôt pour le compagnon que pour le maître et le général de l'empereur.“<sup>85)</sup>

Romae ejus adventu bellum magis desierat quam pax cooperat. Per multos viros senatorii et equestris ordinis, de quibus male opinatus est, clam palamque sustulit: mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset.<sup>86)</sup>

Plurimum terroris intulit caedes Calpurnii Galeriani; is fuit filius Gai Pisonis, nihil ausus, sed nomen insigne et decora juventus rumore volgi celebrabantur. Jussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe suspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem via Appia fuso per venas sanguine extinguitur.

Julius Priscus praetorianus sub Vitellio cohortium praefectus Muciani crudelitatem veritus, ipse mortem sibi concivit.

Alfenus Varus itemque Asiaticus Muciani opera sublati sunt. Sub idem tempus etiam L. Piso interfactus est, cuius necem per Mucianum effectam esse haud abnuerim. — Longum est, si velim omnes enumerare, qui illis diebus morte absuetti sunt. Hoc unum satis erit, ex quo intelligi possit, qualis fuerit Mucianus: quoscunque sibi arbitrabatur infenos, clam palamque tollere non dubitavit.

Sed omnium rerum, quas illo tempore Mucianus patravit, Domitianus nequaquam fuit particeps; id quod inter omnes rerum scriptores satis constat.<sup>87)</sup>

Muciano vero minime sufficiebat, eos viros, qui sibi vel Vespasiano videbantur periculosi, suppicio afficere, sed, quicunque ei erant ingratii vel honore et dignitate<sup>88)</sup> praestabant, aut munere aut Roma pellere studuit. Quo in numero, ut exempla afferam, habendus est Tettius Julianus,<sup>89)</sup> cui, quod legionem tanquam transgredientem in partes Vespasiani deseruisset, praetura ablata et in Plotium Grifum translata est. — Item Frontinus munus ejurare eogebatur. —

Potissimum odio persecutus est Mucianus Antonium Primum et Arrium Varum — (alterum, quod secum de principatu certaret, alterum, quod inimici erat comes) — nec prius quievit, quam potentia utriusque erat fracta. Sed, cum eos propalam opprimere non auderet, quod in neminem ultra aciem saevierant, dolo et fraude collabefacere conatus est. — Multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans, discessu Cluvii Rifi vacuam; simulque per speciem ejus amicis tribunatus praefecturasque largitur. Dein, postquam inanem animum spe et cupidine impleverat, vires ejus abolet, demissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor fuit.

85) cf. Sueton. Domit. 1. Dio Cass. Domit. 66, 2. Crevier, Vol. VI, pag. 10. — 86) cf. Tac. Hist. IV. 80.

87) cf. Tac. Hist. IV, 40; Domitianus adolescens absente etiam patre adeo ab omni caede abhorrebat, ut ne sanguinem quidem adspicere posset. cf. Suet. Domit. ep. 9.

Quin etiam, ut Domitianus in illo discrimine rerum peregerit, quae minus probari possunt, num idcirco pro rursus dammandus est? Minime! „Denn Vernichtung seiner Feinde, ut Wietersheimii verbis utar, erschien dem antiken Gefühle nur als erlaubte Selbsthülfe. Das gewöhnliche Gewissen fand sich darin keineswegs beeinträchtigt. Wie viele Andere, sowohl vor Domitian als nach ihm, haben ganz anders verfahren! Freilich in den letzten Jahren seiner Regierung überwucherte bei Domitian, wie bei allen Kaisern ähnlichen Schlägen, das Schlechte immer mehr das Gute, was aber theilsweise in der Macht der damaligen Verhältnisse lag.“ — 88) eadem de causa de Sabini morte gavisus erat. cf. Tac. Hist. III, 75 et Antonio victoriam invidens moras ei ubique parare studuit. cf. Tac. Hist. III, 52, 53, 78; IV, 39. — 89) Domitianus ei, postquam innocentiam ejus cognoverat, munus reddidit. zix

Tertia legio, familiaris Arrio Varo, in Syriam, pars exercitus in Germaniam ducebatur. Tum, potentia adversariorum infracta et egesto, quidquid turbidum, redisse Tacitus refert urbi suam formam legesque et munia magistratum. Exinde Mucianus unus statum urbis regebat; adulatores et familiares honore et dignitate auxit<sup>90)</sup> et saepius uno die super viginti urbana officia atque peregrina distribuisse dicitur. Jure igitur Vespasianus non Domitianus, ut Suetonius falso tradit, sed Muciano scripsit: „Mirari sese, quod successorem non et sibi mitteret.“<sup>91)</sup>

Caeterum, qualis Mucianus fuerit, facillime ex eo intelligi potest, si res gestas deinceps enarramus. — Nam proximo senatu, cum Domitianus de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus inchoaret, aliaque bene instituta proponeret, ut animi sedarentur, Mucianus ille prolixe censuit pro accusatoribus<sup>92)</sup> simulque eos monuit et molli sermone tanquam rogavit, ut actiones coeptas deinde omissas repeterent.<sup>93)</sup>

Senatores crederes tum quam maxime studuisse, ut, quae Mucianus modo instituerat, tollerentur, sed tantum abfuit, ut ei resisterent, ut etiam saepius ejus nequitias sancirent.

Inter eos, qui nulla re interposita per delatores oppressi sunt, potissimum nominaverim Octavium Sagittam et Antistium Sosianum, viros senatorii ordinis. Mucianus eos, ut sibi alienos, in insulas redegit, quamquam aliis redditum concesserat.

Iisdem diebus etiam in Seniensium plebem vindicatum est, cum Manlius Patruitus sese in colonia Seniensi coetu multiduinis et jussu magistratum pulsatum esse quereretur. —

Antonius Flamma Cyrenensis damnatur lege repetundarum et exilio ob saevitiam, ejusque bona publicata sunt. Sed longum est, enumerare Muciani facinora, quae in dies augebantur. Jure igitur dicit Crevierius: „Les injustices ne lui coutaient rien; et les riches étaient toujours coupables.“<sup>94)</sup>

Dum haec Romae geruntur, et Mucianus suo arbitrio rem publicam regit, seditio militaris prope exarsit.

Milites enim a Vitellio dimissi, deinde pro Vespasiano coacti, militiam praetorianam repetebant stipendia promissa flagitantes. Grandis pecunia opus erat, qua tanta vis hominum retinenda erat. Sed opes rei publicae, cum et Mucianus liberius viveret et multas pecunias largiretur, illo tempore fere erant exhaustae. Quam ob rem Mucianus, ne civitatis conditio periclitaretur, quam celerrime castra ingressus est et, militibus separatim adistere jussis, hac separatione tantam iis injecit formidinem, ut modo principem absentem modo caelum ac deos obtestarentur eique supplicarent, ne ad caudem sese destinaret. — Tum Mucianus cunctos ejusdem sacramenti et ejusdem imperatoris milites appellans eorum animos erexit. —

Deinde Mucianus, cum Romam redisset, egit in senatu, ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur, simulans, hac pecunia se animos militum delenitulum esse. Sed, quod necessitas jam abierat, verisimile est, istam pecuniam a Muciano ad suum ipsius usum aversam esse.<sup>95)</sup>

90) Domitianus adulatores odio persecutus est fere per totam vitam. cf. Suet. Domit. 9. — 91) cf. Sueton. Domit. cp. 1. — 92) cf. Tac. Hist. IV. 44. Domitianus fiscales calumnias magna calumniantium poena repressit; ferebaturque vox ejus: princeps, qui delatores non castigat, irritat. cf. Suet. Domit. 9. Dio Cass. 67. 2. Muciani vero nihil interfuit, homines falso accusatos condemnari. Recte igitur dicit Crevierius: „Il recevait avidement et provoquait les délations, mal égard ni à la vérité des faits ni à l'innocence des personnes.“ — 93) cf. Tac. Hist. I. c. Domitianus inter initia imperii statuit, ne quis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur. — 94) cf. Crevier I. c. vol. V. pag. 284. — 95) cf. Tac. Hist. IV. 44—47. — Domitianus contra per totam fere vitam vix ullam avaritiae suspicionem dedit; immo magna saepe non abstinentiae modo sed etiam liberalitatis docu-

Dum haec Romae geruntur, Mucianus crebresentem famam accipiebat, caesos in Germania exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias.

Domitianus, ut primum defectionis nuntius allatus est, quamquam admodum adolescens erat, minime tantam rem suscipere detrectavit, sed habens a patre ingenitam fortitudinem et supra aetatem exercitatus illico in hostes proficisci cupivit.

Mucianus hoc et illuc ferebatur, quid faceret; si abiret, de iis metuebat, quae Romae instituerat; si maneret, quod alii gloriam nanciserentur, augebatur. Sed tandem vicit illa ei innata gloriae cupiditas. Itaque constituit ipse hoc bellum gerere. — Priusquam vero urbem relinquaret, eos, qui sibi infensi videbantur, partim oppressit partim muneribus datis delenivit et amicos sibi reddidit<sup>96)</sup>.

Tum septem legionibus accitis Mucianus simulque Domitianus ad bellum accingebantur. — Sed antequam alpibus appropinquarent, prosperos rerum gestarum nuntios accepere. Tum Mucianus, qui de industria moras jam antea nexerat, quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: „Quoniam deum benignitate vires hostium fractae essent, parum decorum esse, Domitianum confecto prope bello alienae gloriae intervenire; si status imperii aut salus civitatis in discrimine verteretur, Caesarem debere in acie stare; eos hostes minoribus ducibus esse delegandos, ne parvis periculis immixtus majoribus deasset. — Domitianus, etsi invitus, Muciano obsecutus est, et, omnino rerum expers, cum exercitu Romam reddit.<sup>97)</sup>

Ex his, quae dixi, satis appareat, Domitianum illo tempore fere nullius momenti fuisse. Potius Muciani clientem vel ministrum quam principem civitatis habueris. — Nam tantum abfuit, ut Mucianus, qui propter superbiam paullatim vel in Vespasiani odium incurrerat, Domitiano indulgeret, ut ubique ei subsisteret et, quaecunque Domitianus conabatur, irrita faceret. —

Domitianus nomen quidem ac sedem Caesaris acceperat, ejusque nomen omnibus epistulis edictisque praeponebatur, sed rei publicae administranda omnino expers fuit. Vis — quod omnes rerum scriptores conveniunt — usque ad Vespasiani adventum penes Mucianum fuit. —

Si igitur per id tempus Romae patrata sunt, quae probari non possunt, non Domitiano, sed Muciano ejusque amicis et asseclis sunt imputanda. Domitianum falsis criminacionibus et amicorum vitiis infamatum esse, jam Tito persuasum fuisse videtur. Nam multo apud patrem sermone eum orasse ferunt, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque se ac placabilem filio praestaret.<sup>98)</sup>

Jam sequitur, ut exponam, quomodo Domitianus Romae sese gesserit, ex quo die primum ingressus est Senatum usque ad patris adventum.

Sed haec disputatio, ne longior sit haec programmatis prolusio certosque et constitutos fines transeat, differenda est in aliud tempus.

---

menta. Omnes circa se largissime prosecutus est; nihil prius aut serius monuit, quam ne quid sordide facerent. Hereditates sibi relictas ab iis, quibus liberi erant, non recepit; domus agrosque, a majoribus publicatos dominis reddidit. cf. Suet. Domit. c. 9.

96) cf. Tac. Hist. IV. 68. — Ut Domitianum sibi devinciret, Varum qui praetorianis praepositus fuerat, annonae praefecit; Arretinum vero Clementem, domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano, praetorianis praeposuit.

Vitellii filium vix septem annos natum insuperque lingua captum interfici jubet.

Antonium Primum a Domitiano inter comites adsciri, favore militum anxius non passus est. Tum ille ira inflammatus urbe relicta ad Vespasianum contendit. Sed Mucianus adeo valuit, ut Vespasianus merita Antonii, quo duce haud dubie bellum confectum erat, oblitus eum negligeret.

97) cf. Tac. Hist. IV. 68—85. — 98) cf. Tac. Hist. IV. 52.



